

V c
1268





Q. D. B. F. 26

Vc
1268

Q. D. B. F.

EXERCITATIO HISTORICA

De

ECCARDO I.
MISNIAE MARCHIONE
JENAE ANNO MDII.
SEPULTO,

QUAM

EX BENEVOLO DECRETO

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE

PRO LOCO

In Eadem obtinendo

Publicae Disquisitioni exponis

M. CASPAR SAGITTARIUS,

SS. THEOL. DDUS.

HISTORAR. PROF. P.

RESPONDENTE

JOH. ADOLPHO NICOLAI,

DRESD.

JENAE,
TYPIS GOLLNERIANIS,
MDLXXV.

15.

ON.





JOH. ADOLPH. NICOLAI

THOMAS GOLDBERGER
cl. 1817





SECTIO I.

Magnam varietatem in scriptione nominis ECCARDI deprehendimus: nec minima apparet in ejusdem originibus, Id certum, non alii, quam linguæ Germanicæ natales suos transcribere.

§. I.



Ita est varietas in scriptione nominis ECCARDI. Imago Numburgensis, quam representat Albinus in calce Commentarii *Rerum Misnicarum* præfert ECHARTUS, Privilegium Ms. Cunradi II. Imp. super *Translatione Episcopatus in Numburg, & traditione Balchster*, habet EKKARDUS, Gregorii Pontificis Bulla Ms. super *Translatione*

Sedis Episcopalis de Ciza Numburgum versus, ECKARDUS, Johannis Papæ *Confirmatio Ms. Translationis Episcopatus Cizensis in Numb.* item Ditmarus Merspurgenis Episcopus in *Chronico* scribunt EKKIHARDUS. Literæ Ms. Theodorici Episcopi Numburg. *de Fundatoribus Ecclesie cathedralis Numburgensis* afferunt ECKEHARDUS. Mortuologium Ecclesie Numburgensis, cujus fragmenta possidet Vir Reverendus & Cl. M. Johannes Zaderus, Cathedralis Ecclesie Numburg. Pastor, exhibet HECHARDUS. Reperiuntur porro ECCARTUS, ECKARTUS, EGKHARDUS, EGGEHARDUS, EGKHICARDUS, ECHARDUS. In laudata Gregorii P. Bulla, quia etiam WICHARDI Ducis fit mentio, eidemque HERMANNUS & ECKARDUS hæredes assignantur, non improbabilis conjectura est M. Zaderi, haut alium esse, quam ECCARDUM I. quippe quem & HERMANNUM & ECCARDUM II. genuisse constat. Nisi forte error sit librarii: quod non negat Zaderus.

§. II. ECCARDI nomen Germanicæ originis esse, nemo, quod equidem scio, dubitat; eoque pertinet B. Lutheri observa-

A

tio

tio (si is est scriptor non inelegantis libelli, cujus titulus: *Ali-*
quot Nomina propria Germanorum ad priscam Etymologiam resti-
tuta) Nomina in Hart sunt germanica. Speciatim autem de voce
 ECCARDI ibidem hæc reperias: Eckardus, Eckart. Sed mea ima-
 ginatione Hegerat/ ab Hegen/ ut supra, Servans, custodiens puden-
 ter & consulte. Et ille Odoacer ab Italis dictus Hettheger est. Quia
 Ott/ seu Ott/ ut diximus, Hatto, Hetto: Sic Hettgeher est pater custo-
 diens, servans, tuens. Hinc Eck/ Wolffseck/ rectius Hegel Hegio,
 Hülffshegel custodia salutis, salus custodia. Vel si à fortuna Nat/
 dici voles, erit Hegerat/ servans parva, quia Nat & Unrat Ger-
 manice dicitur, quando res bene & male curantur: quasi per hos
 bene vel male rei familiari consulatur. Sed prior Etymologia me-
 lior est. Integrum hunc locum, ut pleraque alia libelli transtulit
 in Lexicon suum Philosophicum Rodolphus Goelenius: nec me-
 mini laudare per quem profecerit. Quisquis jam auctor sit illius
 commentatiunculæ, putat sane ECCARDUM significare homi-
 nem sua prudenter & consulte servantem; dum scilicet ab Hegen/
 (quæ vox Saxonibus meis per familiaris est) & Nat/ descenderet.
 At proximius scopum videntur ferire, qui ab Eck/ angulus & Hart/
 derivant: ut ECCARDUS vel ECCARTUS designet robur seu
 constantiam lapidi angulari respondentem. Quod ad postero-
 rem syllabam, id agnoscit Bodinus in *Methodo Histor* scribens:
Hard quoque Celticum est, quod Germanis robustum significat,
 nobis audacem, adjecta vocali, quæ sine dictionum Germanisæpius
 eximunt. De toto nomine Johannes Aventinus in *Historia Bohemica*
 quorundam priorum Germanorum nominum Annalibus Bojo-
 rum præfixa: Eck, Egk, cornu est, angulusque. Inde Eckhard,
 sive Egkhard, constans ut angulus & sustentans. Egardus & Eckar-
 dus est, quod sonantius est, Eckhardus sive Ecardus.

SECTIO II

In Marchionibus Misniæ duo ECCARDI clarent,
 Pater, & Filius: quos multi recentiorum non modo in-
 ter se, sed etiam cum alio ECCARDO, ut & Ecberto
 Saxonie Marchionibus perperam commiscent.

§. I.

ECCARDORUM in Historia Misnica seculi X. ac XI. frequens mentio. Et ECCARDUM quidem II. primi fuisse filium, infra demonstrabitur. Jam facili errore, quod primo tribuendum, alteri adscriptum; quodque à filio præstitum, in Patrem collatum. Specimen ejus rei inferius dabimus de Translatione Episcopatus Ciza Numburgum versus; quod procul dubio auspiciis filii gestum, utut Parens apud plerosque novitios eo nomine celebretur.

§. II. Præterea ECCARDUS noster confunditur cum alio Eccardo, Saxonie Marchione, Ottonis Sveviae ac Carinthiae Ducis filio. Quis tamen ille fuerit Eccardus, nondum habeo ex veteribus satis exploratum. Nam quod juniores tradunt, eum à Bernhardo & Lothario Saxonie Ducibus ob rebellionem contra Henricum II. fuisse interementum, in eo partim nostri ECCARDI, partim Ecberti historia (qua de mox dicemus) commiscetur.

§. III. ECCARDI & ECBERTI historias à Krantzio, Brotzuo, & aliis recentioribus, imo & ab antiquiorum nonnullis confundi, non est mirum; cum uterque Henrico Germaniae Regi rebellavit, uterque rebellionem interitu suo expiarit. Attamen non idem est Henricus, quem Eccardus, quemque Ecbertus aggressi. Noster Henricum II. petiit, Henricum IV. Ecbertus. Jam hujus caedes prope in finem incidit seculi XI. cum Eccardus noster sub ejusdem seculi exordium occubuerit. Præterea Eccardus Poledae invenit vitae terminum; Ecbertus in molendina Eisenbüttel sublatus est. Denique Eccardus Misniae, Ecbertus Saxonie fuit Marchio.

§. IV. Id ut pateat clarius, de ECBERTI caede adscribemus nonnulla testimonia. Chronicon Stederburgense à Meibomio editum, tribus verbis; ad annum MXCI. *Ecbertus Marchio occisus est.* Paulo plenius Sigebertus Gemblacensis ad annum M X C. *In Saxonia Egbertus Comes dum fideles Imperatoris bello insequitur, & ipse perimitur.* Chronica Augustensis in Tomo Scriptorum German. Marquardi Freheri ad eundem annum: *Egbertus Marchio seditione perdurans ex insidiis interimitur.* Albertus Stadensis ad dictum annum; *Ekbertus à quibusdam Imperatoris*

coris fidelibus in quodam molendino pausandi gratia deprehensus turpiter occiditur. Bertoldus Constantiensis Appendice ad Hermannum Contractum: Eggebertus Marchio de Saxonia in causa S. Petri strenuus (Pontificiis scilicet partibus contra Henricum Cæsarem erat addictus) dolo cujusdam Abbatisse de Quintleinburg, sororis inquam Henrici Regis [ut ajunt] per insidias occiditur. Erphesfordensis Monachus Additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem anno MLXXXIX. Eckibertus Marchio juxta aquam quæ dicitur Sclicha, in molendino quodam miserabiliter interfectus occubuit. Auctor Chronici Bigaugiensis: Ecbertus Marchio Brunsvicensis, æmulus Wicperti fuit: qui tandem in molendino suo post bellum inter ipsos turpiter occubuit. Auctor de Landgraviis Thuringiæ cap. XVI. Eckenbertus filius Theticonis, Marchionis de Landsberg, fundator Ecclesie S. Georgij in Nuenburg, & castri Erckenspurg, in quodam molendino turpiter occiditur. Ceterum quod hic Auctor Ecbertum Marchionem fundatorem facit Numburgensis Ecclesie ad S. Georgium: id dubio non caret: ceu infra docebitur. Et si per Erckenspurgum intelligit castrum Eccardsberge, nequaquam id ad hunc Ecbertum, sed ad Eccardum, sive is primus, seu secundus fuerit, pertinet. Krantzius Saxon. lib. v. cap. XII. Egbertus Comes in molendino quiescens a supervenientis Impetatoris militibus opprimitur: sive, ut ab aliis traditur [quod supra significavimus] a sicariis. Significaverat autem Krantzius lib. IV. Saxon. cap. XLIV. his verbis: Hic erit exitus, ut vir fortis, qui per vim a difficulter vinci potuit, per insidias opprimeretur. Nam ferunt Henricum conduxisse in illum sicarios, qui se in illius insinuarent familiam: acceptoque tempore, cum in molendino Eisenbüttel quiesceret, ab illis obruncatur.

SECTIO III.

ECCARDUS Patrem habuit Guntherum, in australi Thuringia inclyti nominis Comitem fratres autem Guncelinum & Brunonem.

§. I.

ECCARDI Patrem Ditmarus diserte vocat **GÜNTHERUM**. Hujus auctoritas tanti nobis est, ut omnes rejiciamus aliter sentientes. Non igitur satisfacit Fabricius; Ottonem; non Wolfgangus Heiderus, Ludolphum Otto-

nis

his M. nepotem, Brunonis Pontificis fratrem; Anonymus Auctor
Chronic. Sereniss. Ducum Brunsvicensium à Cl. Madero editus,
Ekehardum substituentes. Cur autem Fabricius Origin. Saxonie
lib. IV. etiam Ditmari testimonium vellicet, causæ nihil video
cum temporibus illis viventi ac scribenti, atque etiam ex illustri
prosapia ducenti genus, optime de Eccardi natalibus constare,
potuerit. Rectius igitur Auctor Chronici Montis Sereni ad ann.
MCLXXI. Ekkehardum filium Guntharij Marchionis de Thuringia
vocat.

§. II. Floruit autem hic GUNTHERUS in Australi Thuringia,
teste Ditmaro lib. IV. sic scribente: *Ekkibardus ex nobilissimis
Turingia australis natalibus hujus genealogia ortum ducens.*
Quo ipso respicit ad pervulgatam illo ævo Thuringiæ in Australem
& Septentrionalem divisionem. Et istius quidem etiam Ditmarus
lib. VI. meminit, de Wigberto antecessore suo scribens: *Hic ex
optimis Turingia australis parentibus originem sumit: hujus au-
tem loco ex lib. IV. jam laudato, Lutharium ex clara Turingia se-
ptentrionalis prosapia editum commemorans. Illa Thuringiæ pars
germanice Sud Thuringen/ hæc Nort Thuringen dicebatur. Et
in vetustis monumentis reperias Pagum Sutharingen, & pagum
Northuringowe: quam in rem merentur legi lectissimæ observa-
tiones Henrici Meibomii de utriusque Saxonie & vicinarum regio-
num quarundam Pagis.*

§. III. Videtur quibusdam Thuringia Australis non alia
esse provinciæ, quam quæ Osterlandia vocabatur: quam in sen-
tentiam inclinat Petrus Albinus *Commentar. Rer. Misnicar.
tit. X.* Et hinc Dresserum quoque Guntherum nuncupare
puto *Comitem Ostlandia.* Bene, an secus id fiat, nunc non
disputo.

§. IV. An ad majores Guntheri inoffenso pede liceat perge-
re, ambigo. Albino tamen, Reusnero, ac nonnullis aliis Gun-
thero patens datur Bruno, frater Ridagus: quos per Fridericum
avum, Ditgreinum proavum, ex Witkindea familia deducunt.
Schema lineæ rectæ pro illorum sententia (à qua abit Reince-
cius, Guntheri patrem non Brunonem, sed Fridericum faciens)
exhibemus.

WITIKINDUS I.

I
WITIKINDUS II.

I
DITGREMUS

I
FRIDERICUS

I
BRUNO

I
RIDAGUS GUNTHERUS

I
CAROLUS ECCARDUS I.

Attamen quia Witikindeæ genealogiæ conditores miris inter se discrepant modis, nunc huc nunc illuc incertis conjecturis pulsi fluctantes; naviculam nostram his incertis non est immittere animus, sed in Gunthero Eccardi patre hoc [tempore] acquiescemus.

§. V. Fratrem Eccardo fuisse *Guncelinum*, colligere est ex Ditmari libro VI. ubi postquam damna Hermanno Eccardi I. filio illata recensuerat, subjungit: *Insuper quicquid incommoditatis prædicto Comiti (Hermanno) quia semper patruum in fratrum filios severi, facere potuit, id nullatenus distulit.*

§. VI. Jam de altero fratrum *Brunone* nihil dubitandum; quandoquidem Ditmarus discrete illum nominet. Verba hæc sunt: *Interea prædictam urbem (Misnam) Bruno Comes, frater Guncelini, ordine vicis sue custodiebat.*

§. VII. Ernestus Brotusius *Merspurgensis Chronici lib. II. cap. II. & V.* præter Eccardum nostrum Gunthero assignat filios tres *Esiconem, Bionem & Bernwardum*. Sed merito notatur ab Albino, quod *Guncelinum & Brunonem* omiserit. Imo vero dubites, an liquido comprobari queat, trigam illam fratrum ad Guntherum pertinere. Nam etsi alicubi Ditmarus Eccardo illos jungit, non tamen exinde fraternam conjunctionem colligas.

SECTIO

SECTIO IV.

ECCARDUS adolevit spe & fama indolis præclaræ, bellicisque studiis sub Patre assefactus Ottoni II. Casari strenue militavit.

Ditmarus lib. IV. *Ekkibardus post multas bellorum asperitates, quas cum Patre suo Gunthero pro honore suo diu suspensus perpessus est, ad gratiam Imperatoris II. Ottonis ad patriam honorifice cum remearet &c. Diligentiam aliorum scriptorum hic merito desideramus, quæ in bellis Ottonis II. tam fortium virorum operam transmittit. Quid autem hoc loco velit Ditmarus, Eccardi Patrem ab honore suo diu suspensum affirmans, non temere ausim definire. Reinerus Reinéccius in Expositione de primis Misnie Marchionibus, non male ita explicat: Gratiam ex meritis dignam non collegit: quippe qui à dignitatibus aliquamdiu exclusus fuerit.*

SECTIO V.

Ubi rebus humanis excessit Otto II. ejusdem filio Ottoni III. contra Henricum Bojarie Ducem regno inhiantem favebat.

ID colligo ex verbis Ditmari lib. IV. quæ subjungo. *Multæ ex his fidem violare ob timorem Domini non presumentes paululum evaserunt, & ad civitatem Hesseburg, quo consocij eorum adversus Ducem jam palam conspirantes conveniebant, festinare: Quorum hæc sunt nomina. Ex oriente hæc Comites cum BernharDO Duce & Thiedrico Marchione, EKKIHARD, Bio, Esico, Bernwardus Comes & clericus, Sifritb ejusque filius Fridericus & Ciazio confratres.*

SECTIO VI.

Postea cum Mifeco Polonus & Boleslaus Boiemus inter se discordarent, Theophaniæ Augustæ Ottonis III. matris jussu, Mifeconi inter alios missus est auxilio. Quod vero imparem se virtuti auxiliarium sentiret Boleslaus, pacem simulans impetrat, ut Principes, dimisso exercitu, cum ipso ad Mifeconem ablata repetituræ proficiscerentur. Magno per hanc perfidiam obnoxii reddebantur discrimini, ex quibus tamen fortuna comite emerferunt.

SECTIO

DItemarus lib. IV. *Eo tempore Miseco & Bolitzlaus inter se dissonantes multum sibi invicem uocuerunt. Miseco praedicta Imperaticis adiutorium postulat. Qua cum tunc in Magdeburg fuisset, Gifilerum ejusdem Archiepiscopum, Comitesq; hos EKKIHARDUM & Esiconem, Binizonem cum patre meo, & ejus equivoco Brunone, Deudone, ceterisq; compluribus eo misit. -- Bolitzlavus cum suis venit turmatim iii. Id. Julij, & utrinque nuncij mittuntur, & ex parte Bolizlai quidam miles, Flopan nomine, ad perspiciendum agmen nostrorum accessit, & reversus inde interrogatur à Domino, qualis esset exercitus hic, si cum eodem posset pugnare, an non. -- A quo sic ei redictum: Exercitus hic quantitate parvus, qualitate sua optimus, & omnis est ferreus, pugnare cum eo tibi potis est: Sed si tibi victoria hodie evenit, sic prosterneris, ut fugiendo Misecconem inimicum, tunc continuo persequentem, vix aut nequam evadas, & Saxones tibi hostes in perpetuum acquiras? si autem victus fueris, finis est de te met ipso & de omni regno ad te pertinenti: non enim remanet spes ulla resistendi inimico te undiq; secus vallanti. Talibus alloquiis furor illius sedatur, & pace facta, Principes nostros alloquitur, ut qui contra eum huc venirent, cum eo ad Misecconem pergere & in restituendis suimet rebus se apud Misecconem adjuvare voluissent. Hoc laudabant nostri, & Gifilerus Archiepiscopus cum EKKIHARDO, Esicone & Binizone Comitibus proficiscebatur cum eo, ceteris omnibus domum cum pace revertentibus. Venit Bolitzlavus cum nostris ad Odem, ad Misecconem nuntius mittitur, qui diceret, se in potestate sua auxiliares suos habere, si regnum sibi ablatum redderet, hos incolumes abire permetteret; sin autem, omnes perderet. Sed Miseco his talibus respondit: Si voluisset Rex, suos acquireret salvos, aut ulcisci perditos faceret, & si hoc non fieret, quod propter eos nihil omnino perdere voluisset. Hoc Bolitzlavus ut accepit, salvis omnibus nostris, quaecunq; potuit, ex locis circumjacentibus praedatur ac incendit.*

SECTIO VII.

Porro cum Brandenburgum nuper amissum repeterent Luitici Slavi, contra eos quoque ab Ottone III, missus est ECCARDUS.

DItemarus l. IV. *Quia superius destructionem Brandenburgensis Ecclesiae dixi, nunc qualiter ad tempus praefato subderetur Regi, brevi explicabo. Fuit in nostra vicinitate quidam miles*

inclytus Kiza nomine, qui à Marchione Thiedrico, aliter quam sibi
placere, habitus est. Ob hoc, & quia facultas sue nequaquam
impietati suppeteret, ad hostes perrexit nostros, qui in omnibus sibi
nimis fidelem cognoscentes supra memoratam urbem nobis satius ad
nocendum eidem commiserunt. Hic postea nostris delinitus blandi-
tis, eam regie potestati cum semet ipso tradidit. Unde Luitici ni-
mio furor succensi, eum cum omnibus, quas habebant catervis, illico
petebant. Interea Rex in Magdeburg fuit, & cum hoc comperiret,
quos ibi tunc habebat, celeriter eo misit EKKEHARDUM Mar-
chionem, & tres avunculos meos, Henricum, Udonem Sigfridum
cum Friderico Comite Palatino, & patruo meo.

SECTIO VIII.

Otto III, ECCARDI fide ac virtute motus, à morte
Ridagi Marchionis, excluso ejusdem filio Carolo Mar-
chiam Misnensem confert ECCARDO; quæ forte tum
hæreditarium jus ac honorem beneficiaria successione in-
nixum adeptus est.

§. I.

A Morte Ridagi ECCARDUM accepisse Marchiam Mis-
nensem certum, ac confirmat Ditmarus lib. IV. Post more-
tem, inquit, Ridagi Marchionis inclyto Ekkibardo suc-
cedente.

§. II. Jam scire multum referret, quo anno decesserit Rida-
gus. Nam ex eo esset judicare, an ECCARDUS ab Ottone II,
an filio ejus Ottone III. Marchiam Misnensem impetrasset. Apud
Ditmarum nihil reperio, quod huic scrupulo eximendo sufficiat;
nec in proximæ ætatis Scriptoribus certi quidquam apparet.
Vetus tamen Chronicon Saxonicum Albino laudatum fato Ridagi
assignat annum DCCCCLXXXVI. Huic igitur si habenda fi-
des, necessum est Ottonem III. Eccardo contulisse Marchiam;
quandoquidem Otto II, triennio ante vitam finiverit. Huc ac-
cedit, quod Ditmarus in gestis Ottonis II, & sub initia Ottonis III,
Eccardo tantum Comitis titulum tribuat, postea autem Marchio-
nem quoque nuncupet. Quid enim clarius his verbis? Et ad
ultimum erumpens per fideles internuncios EKKEHARDO, tunc
Marchioni desiderium diu latens aperuit. Quo ipso videtur signi-
ficare;

B

ficare; tum quando uxorem duceret ECCARDUS (quod factum sub Ottone. II.) nondum fuisse Marchionem; ac cum Luidgerdam primogenitam nubilem Luthario Comiti conjugem pro Wirinhario filio expetenti pacisceretur, jam Marchionatum impetrasse. Præterea Ottoni III. malim hoc adscribere; inprimis quia Ditmarus testatur, Eccardum Ottoni III. multum placuisse, & apud eundem inter alios Primates multum valuisse: Item: apud eum inter precipuos habitum. Interim vix ante annum DCCCCXCIV. Eccardus, Marchio fuit creatus. Nam in Archivo Numburg. Diploma asservatur Ottonis III. anno DCCCCXCH. datum, quo Eccardus non Marchio, sed Comes appellatur. Verba Diplomatis huc spectantia adscribo: *Otto Rex ob petitionem & interventum Wibigisi Moguntinae Sedis Archiepiscopi --- nec non Bernhardi Ducis -- dedit sex mansos regales in villa Holtzhusen dicta sitos, & in Comitatu Ekkibardi Comitis in Thuringia.* Aut ergo fallit nos Chronicon Saxonicum, aut Marchiones etiam Comites fuere dicti. Hoc quidem Scriptoribus aliis non adeo est insolens: ac de Diplomatum adhuc dubito. Posses tamen dicere, Eccardi unicum tantum titulum exprimi, Thuringiacum videlicet, quod ad eundem pertineret donativum. Nam per Thuringiam quoque Eccardum valuisse scet. XIII. monstrabimus.

§. III. Exclusus autem à successione paterna fuit Carolus, idque per accusatorum calumniam. Sinisteriorem fortunam is tamen æquo tulit animo, ac anno demum ~~MCXIV~~ ~~XXVI~~ ~~Februarii~~ obiit. Auctor iterum est Ditmarus lib. VII. scribens: *Eodem anno IV. Calend. Martij, obiit Carolus Comes Rigdagi Marchionis filius, qui omne suimet beneficium injuste accusantium turgida inflatione & nulla sua culpa prius perdidit, & illatum facinus equanimiter portavit.* Huc spectat sequens distichon Petri Albini in Carolum:

*Excluserit Carolum scelera calumnia regno,
Hanc sortem placide mens generosa tulit;*

Et alterum ECCARDUM I.

*Neglecto Carolo me prætulit Otto secundus
Præfectum terris Misnia terra tuis;*

Otto

Ottoni II. id tribuit Albinus, cum multis aliis: & in his Peucero Chronici Carionis lib. IV. *Ridacus*, inquit ille, *agre Misniam defendit contra Bojemos. Hujus filio Carolo excluso Otto II. provinciam tuendam commisit Echaro filio Guntheri Comitis, in ea parte Misnie, que peculiariter Orientalis regio vocata est.*

§. IV. Quod autem Marchia Misnensis jam sub ECCARDO facta sit hereditaria, colligi videtur ex Ditmaro, qui libro V. laudibus Eccardi computat, quod *maximam partem beneficii in proprietatem acquisiverit.* Verba integra sic habent: *Hujus (Eccardi) vite cursum quam probabiliter egit, hoc etiam testificatur, quod apud Dominum suum beneficii maximam partem acquisivit in proprietatem.* Unde & apud Reineccium Expositione de Marchionibus Misnie legas: *Bona que possideret deditia: hereditaria impetrant.* Marchiam quidem non expressit Ditmarus: putaverim tamen ex dictis posse exculpi. Per Dominum autem Ottonem III. intelligendum, ex jam propositis liquet & recte id affirmat Dresserus *Isagog. Histor. millenar. VI. part. II.* quamvis plerique alii in Patrem inclinent. Unde Reineccius libello de *Misnensium origine* & adventu in eas terras scribit: *Unicum hoc de Marchionibus silentio pretereundum non est: ex ipsis ECHARDUM principio ab Ottone II. Imp. Misniam hereditarie possedisse, postquam Bobemos, qui eam occupant, inde ejecit.* Ceterum de Bojemis Misniam relinquere compulsis proxima sectione agemus.

SECTIO IX.

Ea re quasi materiam uberiolem exercenda virtutis sibi oblatam ratus, mox Boleslaum Bojemum Misna cedentem sibi militare compellit. Inde finitimos Milzenos adoritur atque edomat: denique cum Boleslao Polono foedus & amicitiam conjungit.

§. I.

TRia presentis sectione complectimur: primo Boleslai Bojemum ex Misnensi urbe ejectionem; deinde Milzenorum coercionem; denique Eccardi cum Boleslao Polono conjunctionem. De singulis pauca afferemus.

§. II. Quod ad Boleslaum Bojemum attinet, is tempore Marchionis Ridagi Misna potitus. Seriem gestorum pandit.

B 2

Dit.

Ditmarus lib. IV. cuius narratio meretur adscribi. *Wagio miles* Boleslai, Ducis Bojemorum qui Henricum (Bojariæ Ducem præ Ottone III. regnum ambientem) cum exercitu comitabatur, cum ad Misni redeundo perveniret, cum habitatoribus ejusdem pauca locutus, Fridericum, Rigdagi Marchionis, tunc in Merseburg commorantis, amicum, & satellitem, ad Ecclesiam extra urbem positam venire, ac cum eo loqui, per internuntium postulat. Hic ut egreditur, porta post eum clauditur, & Rigdagus ejusdem civitatis custos & inclytus miles juxta fluvium, qui Tribisa dicitur, ab his dolose occiditur. Urbe autem prædicta Bolizlavi mox presidio munita, eundem cito dominum & habitatorem suscepit.

§. III. Actum quoque Volcoldus Episcopus Misnensis sede ejectus ad Willigisum Moguntinum Archiepiscopum fugit. Ditmarus: A quo (Boleslao) Volcoldus antistes vultu instinctu varij expellitur, & ad Willigisum Archiantistitem veniens, benigne ab eodem suscipitur.

§. IV. Paulus Langius in Chronico Citizenensi hanc Misniæ occupationem primo quidem Duci Bojemorum, quem appellat Dedi, tribuit: postea tamen & Boleslai, ex fide Ditmari, meminit: Regnante, inquit, Ottone II. Ecclesia hæc Citizenensis ab exercitu Bohemorum Dedi Duce capta & deprædata fuit, & Pastor ejus memoratus Hugo cum omni clero & civitatis populo inde fugatus est & expulsus. Eodem quoque rerum turbine Ecclesia Misnensis perscellitur & vastatur, & spectabilis vir Folcoldus Episcopus ejus secundus diminutus, ad Willigisum Archiepiscopum Moguntinum declinavit: a quo & honorifice susceptus fuit. Ditmarus tamen, Merseburgensis Ecclesie præsul quartus & historicus insignis scribit, prædictam vastationem per Boletzlaum Ducem Bohemorum & ejus exercitum esse paratam. At, nisi me cuncta fallunt, Langius hic duas Bojemorum irruptiones conjungit, quarum altera utique Dedi adscribenda, altera Boleslao. Hæc post mortem Ottonis II. contigit, ista ipso adhuc vivo.

§. V. Misnia igitur ad Ridagum non rediit, sed in Bojemorum potestate usque ad ECCARDUM permansit: qui Boleslaum cedere coegit, ac reduxit Volcoldum. Ditmarus l. IV. ibi (Erfordie) diu conversatus (Volcoldus) post mortem Rigdagi Marchionis inclyto Ekkibardo succedente, & Bolitzlavo ad propria

rema-

revertente, sedem propriam revisit: Idem lib. V. de Eccardo: Bojemorum Ducem Bolitzlaum, qui cognominatur Ruffus, ad militem sibi adipiscitur. Fabricius Annal. Misniae lib. I. ad ann. DCCCXC Echaridus Marchio ex urbe Misna Bobemos ejecit. Volchuldum reducit. Praesuli Bojemus pro illata injuria satisfacit, eumque recipit in fidem & amicitiam. Idem in Originibus Saxon. Ducem Bobemiae in Bolislaum à barba cognomento dictum Rufum sibi & blanditiis & officiis conciliat, & minis in amicitia retinet. Quae tamen verba ex Ditmaro expressa Boleslaum Bojemum & Polonum videntur commiscere.

§. VI. ECCARDUM Milcienos coercuisse, brevibus indicat Ditmarus lib. V. Milcienos, inquit, à libertate indito servitutis iugo constrinxit. Fuere autem Milcieni gens Slavica, quae olim Misniae partem insedit. Eos quidem maxime Henrici II. temporibus floruisse putat Reineccius Proemio in Ditmarum: attamen & Henrici I. temporibus satis viguisse constat, cum iis quoque in officio continendis Marchia Misnensis ab Henrico constituta. Testis iterum est Ditmarus lib. I. Nomen (urbi) Misni imposuit, quam ut hodie in usu habetur, praesidiis & impositionibus ceteris muivit. Ex ea Milzenos sua subactos ditioni censum persolvere coegit.

§. VII. Demum conjunctio ECCARDI cum Boleslao Polono obscurius proponitur à Ditmaro. Nam postquam dixerat, Eccardum Bojemorum Ducem Boleslaum militem sibi adjunxisse, addit: aliumque (is erat Polonus) ad amicum familiarem blanditiis & minis adipiscitur. Neque pura haecenus in veterum lectione de hoc argumento observavi.

SECTIO X.

Ottonem quoque III. in Italiam secutus, reversum inde & in Poloniam cogitantem redux ipse excipit Misnae honorifice.

§. I.

ECCARDUM cum Ottone in Italia versatum Ditmarus his designat verbis lib. IV. Imperatore & Ekkibardo pariter tunc in Romania commorante &c.

§. II. De Ottone III. Misnam veniente & ab ECCARDO, honorifice excepto idem; Caesar autem ad Cicensem perveniens urbem,

urbem, à secundo Hugone ejusdem sedis provifore tertio, ut decuit Imperatorem, suscipitur. Deindeq; recto itinere Munensem tendens ad civitatem, à venerabili Egedo, hujus Ecclesie Episcopo & à Marchione Ekkihardo, qui apud eum inter precipuos habebatur, honorabiliter accipitur. Eadem repetit Paulus Langius.

SECTIO XI.

Cum Cæsaris in ipsum aucta benivolentia, hunc jam solus possideret, parem adhuc sibi Gisilerum Archiepiscopum Magdeburgensem ægre fert.

Ditmarus l. IV. Augusto saepe memorato Gisilerus Archipræsul multum charus fuit, quod Ekkihardum Marchionem, primo latenter momordit, posteaq; paulum emerfit, cum hunc in omnibus sibi priorem esse non sine gravi dolore percensit. De ipso Gisilero alibi latius agemus.

SECTIO XII.

Bennonem strenuum militem Berthæ filium, nescio quibus de causis, ECCARDUS excæcavit.

Ditmarus d. l. In illo anno, prædictus frater (Hufuardi) victor, ut spero, effectus, ac de commissis penitentia ductus, VII. Cal. Martii seculare periculum evasit: quem agonizantem mater sua Bertha nomine jam decrepita consolat, geminum patienter ferens dolorem. Nam tunc erat annua dies filii sui met Bennonis, optimi militis cui prius oculos abstulit Marchio EKKIHARDUS.

SECTIO XIII.

Non in Marchia tantum Misnensi valuit ECCARDUS, sed etiam per Thuringiam: ut adeo communi totius populi suffragio Dux Thuringiæ constitueretur.

§. I.

Elegans hac de re locus est Ditmari lib. V. Super omnem Thuringiam communi totius populi electione Ducatum promeruit. Comites vero Orientales, paucis tantum exceptis, regnumque in spe habuit.

§. II.

§. II. Ceterum quæras non immerito, qualem *Ducatum* intelligat Ditmarus. Si ejusmodi Principatum, ac per Bojariam & Saxoniam, aliasque provincias jam ab antiquo invaluerat, & quorum hodie longè plures numeramus; an unquam Thuringia, præsertim univèrsa, hanc speciem regiminis contraxerit, valde dubitaverim: id quod clarius patebit, si quando in antiquum Thuringiæ statum a temporibus Carolingicis reperitum licuerit inquirere. Quid si ergo de Marchionatu Thuringiæ, cujus memoriam aliquoties offendimus, quemque postea Landgraviatus videtur absorpsisse, interpreteris? Ita sane accepit Dresserus, cujus hæc sunt in *Isagog. Histor. ad Misniam Eckardus adjunxit Düringiam, & Düringorum etiam Marchio nominatus est.* Sed quid tum facies Diplomati Ottonis III. sect. VIII. §. II. laudato, in quo Eccardus Comes in Thuringia vocatur? Redit enim dubium ibidem propositum, an Diplomata Marchionibus simplicium Comitum tribuere soleant titulum. Forte igitur Ducatus militaris fuit, ad quem totius populi electione sublatus. Certe non contemnenda hæc est conjectura Zaderi nostri, cui, donec meliora afferantur, subscribo.

§. III. Interim & hoc Ditmari testimonium illis censeo obvertendum, qui Thuringiam à temporibus usque Ottonis III. ad Conradi II. ævum sub Archiepiscoporum Moguntinorum imperio fuisse asserunt. Quibus facultatem prætulit vetustus Auctor de Landgraviis Thuringiæ cap. X. In eandem sententiam scribit Paulus Langius: *Hic est ille Guilhelmus Archiepiscopus Moguntinus, cui Pater Otto dedit Thuringiam & Hassiam cum pleno jure, & dominio.* Repetit postea errorem: sed bene est quod mox stylum moderetur, & Moguntino præter jurisdictionem spirituales & ad aliquanta bona temporalia nihil arroget. Ita autem disserit. *Otto magnus ex Adelbeide uxore sua secunda duos suscepit liberos, Ottonem regni successorem, & Wilhelmum Archiepiscopum Moguntinum. Hic est Wilhelmus ille, cui Pater Otto post mortem Ducis Burghardi, qui ab Hungaris interfectus sine liberis obierat; dedit totam Thuringiam & Hassiam cum pleno jure & dominio ad honorem Dei & sancti Martini Moguntinensis Ecclesiæ patroni. Qui intrans dictas terras in possessionem suam cepit, & Erphordiam tunc apertam muro circum-*

Hoc

Hoc mihi videtur verum, quantum ad jurisdictionem spiritualem, & fortassis etiam ad aliquanta temporalia bona. Nam ipsa Hassia ab illo tempore usq; in presens tempus semper habuit in temporalibus Dominum, qui se hujus terre Principem & Landgravium Hassie scripsit. At enim hic errorem indicasse suffecerit, quem alias plenius confutare decrevimus.

SECTIO XIV.

Tanta potentia ECCARDO inspiravit ambitum regni Germanici, ab excessu Ottonis III. Sed statim in conventu Frosano ei obstitit Lotharius Comes, electio Regis ut in conventum Werlanum rejiceretur, perficiens,

§. I.

Ditmarus lib. IV. Interim Principes Saxonia, comperta Senioris sui nece immatura, ad Frisam curtem regiam (Frosia est in Archiepiscopatu Magdeburgico hodie ignobile oppidum) quam tunc Guncelinus Comes ex parte Imperatoris in beneficium tenuit, tristes conveniunt, Gisilerus Archiepiscopus Magdeburgensis cum Coepiscopis, Bernhardus Dux, Lutharius & EKKIHARDUS ac Gero Marchiones: cum optimatibus regni, de statu Reipublice tractantes. Comes autem Lutharius, ut pro primo persensit, EKKIHARDUM se velle exaltare super se Archiepiscopum predictum, meliorem Procerum partem in secretum foras vocavit colloquium, hoc omnibus dans constitutum, ut juramento firmarent, se nullum sibi Dominum vel Regem communiter vel singulartiter electuros ante constitutum in Werle colloquium. Quod ab omnibus laudatum, excepto EKKIHARDO, & collaudatum. Hic se paululum à regni fastigio dilatatum graviter ferens erupit: O Luthari Comes, quid adversaris? & ille: Num currui tuo quartam dee esse non sentis rotam? sic interrupta electio, & vena antiquorum rellatio, quod unius noctis intermissio, fiat unius anni dilatio, & illa usq; in finem vite hujus prolongatio,

§. II. Albertus Kranzius. Saxoniae lib. IV, cap. XXVII, & Petrus Albinus Commentario Rerum Misnicarum tit. XI. dicitur tribuunt Lothario Hermanni Billingi filio, quem hic Saxonia & Luneburgi Ducem facit. Verum Hermanno in Saxoniae Ducatu (Luneburgensis tum nondum natus) non successit Luderus, sive Lothar

Lotharius filius, sed Benno, qui & Bernhardus dicitur. De quo autem nos in presentia agimus, erat patruus ipsius Ditmari Historici, Marchio Bernburgensis quem sæpius eule patruelis commemorat. Quam vero tota narratio Krantziana sit corrupta, evidenter constabit si cum Ditmari dictis contulerimus. Ita autem Krantzius: *Erat per idem tempus & alius Marchio Saxonie, Egbertus, qui magno studio contendit post Ottonem III. ad Imperium, sed frustratur diligentia Bennonis Ducis Saxonie & Luderi Comitis fratris ejus. Inter jurgia dixisse ferunt Egbertum Ludero: Quid sibi tam acriter in profectione restitisset; illumque respondisse: Ex quatuor rotis ad currum, vix illi fuisse unam. Processit ea res in id discordie, ut ab illis fratribus Egbertus opprimeretur. Deus bone, quæ errorum confluges! Nam primo non Egbertus erat, sed ECCARTUS, qui inhiabat regno: dein non Marchio fuit Saxonie, sed Misnie. Porro non reperimus Bennonem Saxonie Ducem, Eccardo adversatum. Nec dixit Lotharius singulas desiderari rotas, sed saltim quartam. Denique non à Bennone & Lothario, sed à Sigfrido Comite oppressus est ECCARDUS. Hæc sane argumento sint, quanta cum circumspectione legendus Krantzius. Fabricius quoque aut non videtur cepisse, aut pervertisse mentem Lotharii, sic illum introducens loquentem: *An nescis Echarde, rotis quatuor currui esse opus? quarum tibi tres adhuc desunt.* Etiam illud est ab ingenio Fabricii: *Quod dictum Echardeus ita tulit insolenter, ut Luthario mortem minitaretur. Nisi forte hauserit ex Annalibus, quos aliquoties laudat, Magdeburgicis.**

SECTIO XV.

Ne sic tamen quiescit ECCARDUS: & cum jam Henricus II. in comitiis Werlensibus Rex esset designatus, novis rebus studens, regios sibi in accubitu honores usurpat: ac tametsi ea re offensus animi plurimorum, eosdem tamen etiam Hildeshemii repetere audet. Inde Paderbornam profectus, non pro spe accipitur, nec, quod cum Hermanno Duce Sveviæ colloquium Duysburgi meditabatur, succedit.

C

Dit

Ditmarus lib. V. Hujus (Lotharii) consilio Dux Henricus
quendam militem ad civitatē, quae Werlis dicitur, ad nepros
suas consorores Sophiam & Eibelheidam, & ad omnes, qui
tunc ibi convenerant, regni Primates, misit. Quo omnibus in
unum collectis, legationem suam aperuit, auxiliantibusque Dominis
suo ad regnum, bona plurima promisit. Cui mox à maxima multitu-
dine vox una respondit: Henricum Christi adiutorio, & jure heredi-
tario, regnaturum, se paratos ad omnia, quae sibi nunquam scirent
esse voluntaria. Hocque dextris manibus elevatis affirmatur. EKKI-
HARDUS cum suis quia praesens non erat, (Quid igitur Fabricius
Echardus qui tum consiliis intererat, placere sibi actionē simulabat.)
simulata tunc patientia hoc pertulit: quia quicquid peccatur à mul-
tis, ut scriptura testatur, inultum est. Vespere autem jam factio cum
praefatis Dominibus in magna domo, sedilia autem ornata, & mensae
esset variis cibis referta, EKKIHARDUS eandem praecipuam, cum
Arnulpho Episcopo & Bernhardo Duce ibi epulatur. Ante ruinam
enim exaltabitur cor, & ante gloriam humiliabitur. Quod mentem
consororum prius tristem, ceterosque complures, qui interfuerunt
commovit multum, renovaturque in eundem odium diu celatum, se-
cito, proh dolor! finiturum. Namque cum praedictus Marchio, omnino
aliter, quam sperarat, ibi provenire prospexisset, optimum duxit, ut
Occidentales visendo regiones, Hermannum Ducem cum ceteris opti-
matibus de Reip. suae commoditate alloqueretur. Salutatis postera die
suis familiaribus inimicisque caute notatis cum Bernardo Antistite
Hildesheim venit, ubi ut Rex suscipitur, honorificeque habetur. De-
inde ad Patrabrunnam pergens, clausas invenit portas, & jussu ve-
nerabilis Rhetarij Praesulis intramissus, primo Ecclesiam causa oratio-
nis intrat, postquam ad domum, ubi Episcopus cenabat, veniens, caritati-
ve susceptus est. Ibi tum dictum est huic, quod colloquium in Duis-
burg, cujus gratia huc venerat, fieri nullo modo potuisset. Insuper
animadvertit, multum displicere Antistiti de incepto ejus ineonvul-
sioni. Gobelinus Persona Cosmodromii Aetat. VI. cap. LI. Henricus
existens Dux Bavariae, cum corpus Ottonis III. per Bavariam Aquis-
grani tumultandum duceretur, rogabat Principes corpus ipsum du-
centes, ut se eligerent in Regem: quod & factum est: maxime ad hoc
procumante Willisto Archiepiscopo Moguntino. Quibusdam tamen
Principibus regnum appetentibus displicuit, quorum unus fuit ECK-
HARDUS

HARDUS Marchio Misnensis, qui sperans regnum consequi posse, versus Duschborg, quo Principes conventurus aestimavit, se direxit. Unde in Hildensheim à Bernwardo Episcopo quasi Rex honorifice susceptus est. Deinde cum venit Paderborne, clausas civitatis portas invenit: sed jussu Episcopi Retbarij intronissus est, & cum Episcopo ipso cenavit. Cumq; intellexit, quod Episcopo Retbario intentio sua de regno obtinendo displicuit, & quod colloquium Principum in Duschborg non fieret, reversus in Saxoniam. Ex Ditmaro & Gobelino corrigendus est Krantzius, qui pro Duisburgo, ubi conventus celebrandus erat, Dusseldorpium substituit *Metropol. lib. IV. cap. II.* quod & facit Fabricius. Neque ex his elucet rem eo adduxisse Eccardum, qui Paderborne Rex sit proclamatus: quod tamen discrete scripsit Dresserus in *Isagoge Histor.*

SECTIO XVI.

Cum domum rediturus, Northemium deflexisset **EC-CARDUS** ad Sigfridum Comitem, ab hujus filiis, è quibus Henricum cædi loris jussu Ottonis III. procuraverat, strui sibi insidias cognoscit. His elapsus ab insequentibus noctu opprimitur Poledæ: & cum è comitatu ejus cæsis fidelissimis ipse pugnare pergeret fortiter, à Sigfrido hasta collum transverberatur, & lapsantis caput cervicibus abscinditur. Factum hoc anno MII. II. Kal. Maji.

§. I.

Ditmari longior narratio hæc interpretabitur. Propter hoc abiens (Paderborna) cum ad Northheim Sigfridi Comitis curtem veniret, diligenter susceptus est, atque ut ibi pernoctare vellet, rogatur. Intimaverat huic occulte Domina Ethelind Comitissa quod Sigefridus & Benno, senioris suimet filij, confratribus Henrico & Udone, aliisque conspiratoribus suis, de nece sua positis tractarent insidiis, suppliciter efflagitans, ut adibi usque in crastinum maneret, seu alio diverteret. Talia Comes benigne suscipiens, propositum itineris propter eos interrumpere nequaquam posse nec velle respondit. Inde protinus discedens, caute suos per omnem diem hanc circumspexit, & ut optimus erat miles, ne terre- rentur, admonuit. Quod eminus hostis elatentibus insidiis confide-

mans, quia non utile tunc videbatur, distulit, & sequenti nocte in-
ceptis persistere, dextris confirmavit. Pervenit autem Comes ad lo-
cum predestinatum, qui Polithi dicitur. & facto vespere comedit, &
in lignea caminata cum paucis dormitum ivit. Ceteri vero quam-
plurimi in proximo quiescebant solario. Quos cum sopor oppido las-
sos gravaret, inimica manus incautos opprimens invasit, Comitemq;
clamoribus immensis excitatum, a lecto celeriter surgere compulit.
Is vero braca suimet, & quibuscunque potuit igni vires suggerit &
quod tunc premeditari non valuit, fractis fenestris majorem nocendi,
quam se defendendi hostibus aditum patefecit. Nec mora, pre fori-
bus occiditur miles Hermannus, & exterius ad auxilium domino pro-
perans Atulphus, ambo fortes, & usq; ad mortem fideles. Vulneratur
in super Erminoldus, Imperatoris Camerarius, ac solus tunc repu-
gnat EKKIHARDUS, vir domi militieq; laudabilis, cui Sigfridus,
hasta fortiter emissa, nodum cervicis infregit, terramq; oppetere
compellit. Quo casu protinus perspecto, alacriter omnes irruunt,
caput amputant, & quod miserum, funus prestantur. Facta sunt au-
tem hac II. Cal. Maji. Peracto tandem immuni scelere percussores
leti & incolumes redeunt. Hi autem, qui in solario erant ignavi, nec
Dominum laborantem in aliquo adjuvabant, nec mortuum ulcisci
conabantur. Abbas vero ejusdem loci, Alskerus nomine, corpus visi-
tavit, ac commendationem anime summa devotione perfecit. Que
vero sit causa, que hos ad tale facinus perpetrandum persuaserit,
veraciter explicare nequeo. Quidam dicunt Henricum instinctu pre-
dicti Comitis ab Imperatore flagellis casum, hac septus in eorum conse-
ditatum fuisse. Alii autem, sicut pre dixi, in Werlu ob contumeliam
confororibus illatam, quia isti libenter his serviebant, ac per convitia
minasq; ab ipso sibi manifestatas, hac eos incepisse.

§. II. Locus ubi peracta cædes, diversimode scribitur, ceu-
patet ex sequentibus testimoniis. Lambertus Schafnaburg: ad ann.
MII. Eggihardus Marchio, regni usurpator, Polodi occisus est.
Appendix Chronici Montis Sereni. Ekkehardus Marchio in regia
curte, que Police dicitur, interfectus est. Gobelinus: In loco, qui
dicitur Palichi, ab hostibus comprehensus, noctu occisus est. Paulus
Langius: Egkardus Marchio Misnensis supradictus, defuncto Otto-
ne usurpare utebatur regnum, festinabatq; eligi: sed à Principibus
fuit reprobatus, eodemque anno Polodi occisus. Auctor Chronici

Du-

Ducum Brunswicensium à Madero editus: *Ottone III. defuncto*
Principes ad electionem Regis convenerunt in Polede. Et tunc tra-
statur de Ekebarde, Ekebarde Marchionis Orientalis filio, qui
erat dives & prepotens Marchio Orientalis. Sifridus & Benno, filii
comitis Sifridi de Bruenborch, cum Comite Thiderico de Kacelingbe-
borg ipsum Ekebardum ibidem in Polede occiderunt. Habes hic
Polithi, Police, Polodi, Palichi, Poledi, Polede. Ultima vero cen-
suram merentur. Nam nec de eligendo Rege ibidem convenerunt
Principes: nec (quod supra ostendi) Eccardus Patrem habuit co-
gnominem, sed Guntherum. Alioquin eadem & auctores denuo-
idem scriptor memorat his verbis: *Gertrudis nupsit Comiti Henrico,*
qui Pinguis dicebatur, qui fuit filius Ottonis de Northeym, Ducis
quondam Saxonie, & erat de progenie Sifridi Comitis de Berne-
broch, cujus filii, ut supra dictum est, EKKEHARDUM Marchio-
nem in Polede occiderunt.

§. III. Ceterum non immerito quæras, qualis ille locus, &
ubi terrarum situs, in quo tantus Princeps occubuit. Fuisse ibi-
dem monasterium, dubitari nequit, cum Ditmarus Abbatem re-
censeat. Jam recentiores quidam tradunt, Mathildam Henrici
Aucupis uxorem illud construxisse. Auctor Compilationis Chro-
nologicæ nuper cum fragmento Gervasii Tilberiensis à Madero
editus ad ann. DCCCCXXXVI. *Cujus (Henrici Aucupis) uxor*
B. Melchildis fundavit cœnobia in Palude seu Polde & Northusen.
Verum & Palatium regium ibidem existisse, non est difficile pro-
batu; quandoquidem Ditmarus & Appendix Chronici Montis Se-
reni *curtem regiam* nuncupent. Nescio an huc referam, quod
Auctor Chronici Serenisi Ducum Brunswicensium *Officii imperia-*
lis in Polede meminerit. Huc accedit, quod frequenter eo loci
Reges commorati. Ditmarus lib. V. de Henrico II. *Posthæc Na-*
tale Domini in Polithi more priorum divinitus ac humanitus hono-
rando peregit. Idem lib. VI. de eodem: *Proximum natale*
Domini Rex in Polithi celebravit, & ibidem Thiedrico, prædicti
Comitis filio Comitatum ac omne beneficium jure, & hortatu Regi-
næ ac Prætipum suimet, dedit. &c iterum eodem libro: *Rex*
Natale Domini festiva jucunditate in Palithi celebravit. Et rur-
sus: *Posthæc natale Domini in Palithi festivo peregit gaudiis.*

Ac denuo: Papa Benedictus Gregorio cuidam in electione prevaluit?
Ob hoc iste ad nativitatem Dominicam in Palithi venit. Sic lib. VII.
Natale Domini celebravit in Palithi. Mox eodem libro: *Natalem*
dominicum in Polithi coluit. Lambertus Schafnaburg. ad ann.
MXLVIII. de Henrico III. *Imperator Natalem Domini Polethæ*
celebravit. Et mox: *Festum S. Michaelis Imperator iterum Po-*
lethæ celebravit. Et ad annum MLII. *Imperator Natalem Domini*
Polethæ celebravit, ubi filio suo Henrico adhuc catechumeno Prin-
cipes regni sub juramento fidem promittere fecit. Quod si igitur
 aula hæc imperialis conflagravit anno MXVIII. ceu scribit Fabri-
 cius lib. II. *Orig. Saxon.* vero non est absimile, brevi post fuisse
 restitutam. Fabricius autem sua de incendio Polethano videtur
 hausisse ex Ditmari lib. VII. ubi ait: *Curtis pars maxima imperia-*
lis in Palathi combusta. In Saxonia autem sitam fuisse curtem
 regiam patet, ne quis Apoldam fuisse conjectet. Meibomius *Notis*
ad Gobelinum monet Poledam esse *monasterium S. Benedicti in diæ-*
cesi Moguntina. Sed hæc fortassis alia fuerit Poleda. Cyriacus
 Spangenbergius *Chronici Mansfeldensis* cap. CLXXIII. haut pro-
 cul Hartzburgo collocat. Reinesius *Variar. Lektion. lib. II. cap. XVI.*
 conjicit Poledam esse castrum *Botfelden* ad radices montis Meli-
 boci situm. In Mappa Geographica Ducatus Brunsvicensis inter
 Northemium & Northusam occurrit locus *Polde*: & in alia qua-
 dam mappa, quæ Jansonium habet auctorem, adhuc significan-
 tius exprimi, nuperrime ad me perscripsit Dn. Zaderus. Nec
 ignotus est locus iste Venerabili Ecclesiæ nostræ Antistiti Dn.
 M. Theophilo Colero. Nulla igitur amplius de eo nunc restat
 dubitatio.

SECTIO XVII.

Corpus ECCARDI ab uxore & filiis primum JENÆ
 sepultum, post Naumburgum fuit translatum. In-
 star Epitaphii esse potest sequens elogium à Ditmaro
 scriptum; Hoc scio, quod decus regni, solatium patriæ,
 spes commissis, terror inimicis, ac per omnia per-
 fectissimus foret, si in humilitate solum persistere vo-
 luisset.

§. I.

Ditmarus lib. V. *Hujus (tam miserabilis cædis) fama diu mox propagata, Dominam Svonchildam venire fecit obviam, filiiq; ejus letitiam turbavit Hermannii. Is namque cum jussu Patris, Wilbelmum Coraitem, senectute ac omni bonitate proficuum, ob vindicandam Widikindi & Hermannii necem, a filio suimet eis inlatam, valida manu in Wimari possideret, emeritumq; senem in presentiam prædicti Comitis venire, & quicquid ipse ab eo exposceret, implere constringeret iuramento, accepta nece Parentis improvisa, cum matre celeriter occurrit, Patrisque corpus ingenti luctu suscipiens, in urbe, quæ JENA dicitur, sepeliri fecit. Peracto autem tricesimo die Domina Svonchilda ad Misni proficiscitur cum filiis. De sepultura JENENSIS ita scribit Wolfgangus Heiderus, celebris quondam hujus Academiæ Professor Orat. VI, Parentalium Johannis Ducis Saxoniae, quæ agit de matrimonio auspiciatissimo Principis: *Ejus cadaver Schwanhildis uxor, & Hermannus filius JENAM, hoc nostrum in oppidum, quod tum illorum sedes erat, transtulerunt, & in eade sacra terris honorifice mandarunt, idque factum anno millesimo secundo, ut Lambertus refert seu quarto, ut Annales Magdeburgenses. Utinam vero hoc tanti Principis monumentum intra monasteriorum & templorum, quæ collapsa jacent, ruinas nobiscum, ut olim Archimedis monumentum sua cum sphaera & cylindro inter sentes & vepretæ Syracusanorum, reperiri posset, hujus urbis ornamentum singulare, & egregium antiquitatis insperata testimonium certo futurum.* Indiciam hujus loci debeo Viro Plurimum Reverendo ac Clariss. Domino M. Adriano Beiero, Ecclesiæ Jenensis Archidiacono de historia Thuringiaca ac Academica optime merito.*

§. II. Quod vero ad ipsum Heideri spectat votum, mirum non est, si spes illius consequendi de collaverit. Quod si enim standum auctoritati Chronici Ducum Brunsvicensium, corpus Ecardi Numburgum fuit translatum. Verba ita habent: *Qui ad fundum hereditatis suæ delatus, super fluvium Salam (hoc est; proxime ad fluvium) in oppido JENÆ primitus est sepultus. Postmodum in Ecclesia cathedrali Nuenborch terra solemniter commendabatur.* Sequitur hunc auctorem Johannes Conradus Dieterichus in *Historia Henrici II. Imp.*

§. III.

§. III. Si tempus translationis fuisset definitum, pluribus emergere liceret difficultatibus. Nunc quando solis agendum conjecturis, facile à vero in quibusdam poterimus aberrare. Interim cogitationes meas, ut & M. Johannis Zaderi, quo cum aliquoties familiaribus literis hoc negotium agitavi, proponere detrectabo. In Ecclesia cathedrali sepultum esse ECCARDUM, vix videtur comprobari posse: utut in ea sit sententia Dresserus libello de præcipuis Germaniæ Urbibus. Nam diu post extinctum Eccardum translatio sedis Episcopalis Cizensis versus Numburgum, ac structura cathedralis templi contigit; quod evidenter declarant Diplomata in Archivo Numburgensi asservata, quorum apographa minime fallacia servo. Faluntur ergo Auctor Chronici Montis-Sereni ad ann. MCLXXI. Albinus *Rerum Misnicar. Tit. X.* Reusnerus in *Stemmata Witichindeo*, Chytreus *Saxon. lib. II.* & si qui sunt alii, sive translationem Episcopatus, sive structuram templi cathedralis, sive utrumque Eccardo I. tribuentes. Quo ipso simul concidit Albini opinio imaginem illam ECCARTI, quæ etiamnum conspicitur in cathedrali æde Numburgensi, representare Patrem Eccardum: cum tamen ad filium cognominem pertineat: ceu pluribus ostendemus quando de translatione Episcopatus Numburgensis (quod brevi futurum spero) curatius tractaverimus.

§. IV. Fortassis igitur templum erit S. Georgij, in quo sepulchrum accepit Eccardus I. Cœnobij certe illius origines à Langio, Albino *Tit. X, & XXI.* Laurentio Peccensteinio in *Theatro Urbium Saxonicarum* referuntur in Eccardum I, ejusque conjugem Swonchildam: & id quidem sine ulla contrarij formidine adeò asseverat Albinus, ut & nobile conjugum par in dicto templo humatum tradat, Misnense vetus chronicon, & Monachum Pirnensem secutus. Idem legas apud Peccensteinium *part. II. Theatr. Saxonici.* Longe sane similis id videtur vero, quam quod Calvinus in *Opere Chronologico*, Binhardus in *Chronico Thuringiaco*, adscribant Ecberto I. Marchioni Saxonie; Chronicon verò Lipsiense Thomanum, & Annales Neustadiensis Ecberto II, quamvis & Chronicon Reinhardisbronnense pro Ecberto filio Dizmanni *Marchionis de Landesberg* militet:

§. V,

§. V. At quoniam non desunt qui Eccardo II. foundationem
hujus Ecclesiae tribuunt, forte consummasse istum dixeris, quae
coeperat materna pietas. Huc enim referre possis, quod in diplo-
mate Henrici III. ann. MLI. legas de Hermanno & Eccardo, quod
Ecclesias, Congregationes clericorum, Monachorum, Monialium
construxerint. Nam quia haec de solo cathedrali templo neque-
ant intelligi, licebit forsitan & ad hanc S. Georgii aedem referre.

SECTIO XIIIX.

Conjux ECCARDO fuit Svonchilda, Hermanni Billin-
gi Saxoniae Ducis filia, Ditmari Marchionis Lusa-
tiae vidua, ex qua genuit Hermannum, Eccardum II.
& Guntherum; item Luidgerdam, Mathildam,
Odam.

§. I.

Svonchildam facio Hermanni Billingi Saxoniae Ducis filiam,
sive Dytmari, qui Bernhaldi Ducis sororem nuncupat: quam-
quam is Bernhaldus ab aliis dicatur Benno: credo, ut distin-
guatur à Bernhardo filio, Hermanni nepote. Reineccius
tamen Commentar. de primis Misniae Marchionibus Svonchildam
Bernhaldi Ducis vocat filiam.

§. II. Nupta haec primum fuit Ditmaro Marchioni Lusatiae,
qui frater erat Geronis Archiepiscopi Coloniensis. Ditmarus
lib. IV. *Ekkibardus Thitmari Comitiss viduam, & Bernhaldi Ducis*
sororem, nomine Svonchildam in matrimonium sibi copulavit, ex
eaque primogenitam nomine Luidgerdam, acquisit filiam.

§. III. Ex hoc connubio natus Gero, pater Ditmari, avus
Ottonis, in quo terminavit ista Marchionum Lusatiae familia.
Auctor Chronici Montis-Sereni ad ann. MCLXXII. *Ditmarus*
Marchio duxit filiam Hermanni Ducis à Luneburg, Svane-
childam nomine, ex qua genuit Geronem Marchionem. Gero ge-
nuit Ditmarum, Ditmarus genuit Odonem, qui sine liberis obiit,
& in eo posteritatis progagatio cessavit. Hi omnes provincia Lu-
sizensis Marchiones fuerunt, quae nunc Orientalis Marchia vocatur.
De Gæde hujus Geronis legendus est Ditmarus lib. VII, p. 195, edit.
Maderianæ.

§. IV. Postea Eccardus Svonchildam duxit, Laudatus
D Auctor

*Auctor Chronici Montis-Sereni: Mortuo Dithmaro Swanchilda
ejus relicta nupsit Ekkeharde Marchioni, filio Guntharii Marchio-
nis de Thuringia, qui Nuenburgensem fundavit Episcopatum, qui
genuit ex ea plures filios & filias.*

*§. V. Primogenita fuit Luidgerda, quam Lotharius Comes
Wirinharo filio suo (Beringerum vocat Fabricius) sponsam ex-
petit, & haud gravate impetrat. Dithmarus. l. IV. Lutharius ex
clara Thuringiae septentrionalis prosapia editus, cum vir factus esset,
aetatem superare virtutibus nitebatur. Cumq; secundo multum carus
esset Ottoni, ejus auxilio quandam, Godilam nomine, ex occidentali
regione nobiliter natam, cum licentia Wiridunensis Wigfridi Praesulis,
consobrini ejus, sibi in conjugem desponsavit & acquisivit, quae peperit
ei in tertio decimo aetatis suae anno primogenitum, patris sui nomine
appellans Wirinbarium. Sed cum duae propagines istae, puer inquam
& puella, ex tam nobilissima vitis radice emerissent, jamjam paulatim
ad maturitatem fructus pertingere inclitis virtutum scabris nite-
bantur. Sed Lutharius Comes & puella illius formam & conversa-
tionem bonam primo persensit, qualiter eam consociaret filio suo, men-
tis secreto semper voluit. Et ad ultimum erumpens per fideles inter-
nuncios, Ekkeharde tunc Marchioni desiderium diu latens aperuit,
ac celeriter impetravit. Convenientibus tunc in unum familiaribus
eorundem, promisit legitime Ekkehardo Luthario, eandem se filio suo
daturum in uxorem more suo, & jure praesentibus cunctis optimis
tribus affirmans.*

*§. VI. Cum tamen Eccardus pacta conaretur rescindere, Wi-
rinharus sponsam absente Mathilda Abbatisa Quedlimburgensi,
apud quam educabatur, vi rapit, & Walbecum salvus evadit. Dith-
marus: Qui cum tertio Ottoni multum placeret, & apud eundem
inter alios primates plurimum valeret, nescio qua causa depravatus
pactum firmissime stabilitum interrumpere quam maxime conatus
est. Quod mox Lutharium non latuit, & ut hoc non fieret, anxiamen-
teolvebat. Imperatore & Ekkeharde pariter tunc in Romania com-
mone, commissa erat Regni istius cura venabili Abbatisse Ma-
thildi --- in cujus civitate Quidelingeburg nuntiata, puella haec edu-
cabatur. Fit publicus in Dorneburg Abatissa, totiusq; senatus in
num conventus. Interim Wirinharus, ut arbitror, non consilio Patris
sed amore virginis, & ob metum manifesti dedecoris, cum confra-*

tribus Henrico, Friderico, ceterisque militibus optimis, urbem prædatam ascendit, sponsamque suam & reluctantem & clamantem auferens cum suis ad Wallibiki lacus & incolumis pervenit.

§. VII. Raptum ægre ferens Mathilda Principes regni permovet ad persequendum armis Lotharium: qui tamen temporis fugiens in tuta se recepit, mori potius, quam tam acceptam prædam reddere paratus. Ditmarus: Quod cum Abbatissa à certo comperisset legato, graviter commota, cunctis hoc Principibus lacrimis queritur obortus, rogans ac precipiens, ut armati omnes publicos hostes celeriter insequerentur, ac vi captis seu occisis, virginem sibi redactam conarentur. Nec mora, iussa hæc miles armatus accelerare conwendit, & priusquam urbem nuntiam attingerent eosdem per compendiosa itineris interruptos, vi capere vel occidere, seu effugere anhelavit. Compertum est autem à viatoribus, quod hi, quos insequerentur valida manu, clausisq; portis, notis jam gauderent præsidio, nullam patere ingressum, aut velle mori, aut se ibi defendere, & nunquam illi sponsam reddere. Quo audito admodum tristis revertitur.

§. VIII. Re inter Principes deliberata, cum Luidgerda divellitur à Wirinbario nollet, actum mitius: & Wirinbarius in conventu Magdeburgensi veniam delictorum petens impetravit. Mathilda autem Luidgerdam aliquandiu servatura breviter obiit. Ditmari verba huc spectantia omitto. Habentur in editione Maderi pag. 82. Obitus Mathildæ incidit in annum DCCCXCVIII.

IX. Neque tamen Luidgerda prius ad maritum reversa, quam post obitum Patris Eccardi. Ditmarus lib. VI. In primo Henrici regnantis anno prædicta Luidgerda post mortem Patris sui ad virum suum, à quo injuste tamdiu disjuncta fuerat, mense Januario rediit.

X. Obitum Luidgerdæ prolixè describit Ditmarus: quippe qui morienti adfuit, & unctionem impertitus est extremam. Sepulta est in monasterio Walbeccensi, hæud procul Helmitadio. Idem Ditmarus d. I. Cum jam primo illucesceret, corpus ad Wallibiz nobis comitantibus deferretur, & in proxima die juxta monasterium in aquilonari parte, ubi Luitberdus pater XXVI. annos requiescebat, deponitur, & à viro suomet Wirinbario ineffabiliter defletur.

XI. De HERMANNO & ECCARDO, Eccardi I. filio & GUNTERUM

morat Dithmarus l. VII. his verbis: *Hac ibidem Hermannus Comes fideliter suscipiens (loquitur de Geronis occisi corpore) & usq; ad novam urbem--cum fratribus suis GUNTHERO & Ekkebarde comitatur.*

XII. Ex Mathilda Eccardi filia descendit Marchionum, Misniae Weddinensis lineae familia; adeoque praesentes omnes & quotquot fuerunt potentissimi Marchiones Misniae, ad Electoralem aliasque illustres dignitates in regno Germanico protracti ad Eccardum I. inelytum genus referunt. Quod si igitur non alia fuisset causa curatius in vitam Eccardi inquirere, vel hanc praecipuo putassem loco. Ceterum Mathilda nupsit Diderico Comiti, unde natus Timo, Pater CONRADI Comitis de Weddin, primi ex hoc stemmate Marchionis Misniae. Genealogiam debemus Auctori Chronici Montis-Sereni ad ann. MCLXXI. *Mortuo Dithmaro, Svanchildis ejus relicta nupsit Ekkebarde Marchioni, filio Guntharij Marchionis de Thuringia... qui genuit ex ea plures filios & filias. Unam filiarum ejus, quae ex matre soror fuit Geronis Marchionis, MACHTILDEN nomine, duxit Tidericus, genuitque ex ea Thiemonem Comitem & fratres ejus. Thiemo vero genuit Dedonem Comitem, & CONRADUM Marchionem, Ecclesiae Sereni montis fundatores. Et in Appendice hujus Chronici eadem Genealogia proponitur exactius hunc in modum: Accepit Tidericus Comes uxorem filiam Ekkebarde Marchionis, qui in regia curte, quae Police dicitur, interfectus est, MACHTILDEN nomine, sororem Hermanni & Ekkebarde Marchionis. --- Genuit itaque Tidericus Comes hos filios, Fridericum, Dedonem, Thiemonem, Geronem, Conradum, Klädagum, & filiam Hiddam. -- Thiemo Comes duxit uxorem Idam, filiam Ottonis Ducis de Northheim, genuitq; ex ea Dedonem Comitem & CONRADUM. Brevi igitur tabella repraesentabimus genealogiam usque ad nostra tempora.*

GUNTHERUS

I.

ECCARDUS & Uxor SVONCHILDA.

(MATHILDA.)

Didericus.

I

Timo.

CON-

CONRADUS Comes de Weddin.

I

Otto Dives.

I

Ditericus.

I

Henricus Illustris.

I

Albertus.

I

Fridericus Admorsus.

I

Fridericus Gravis.

I

Fridericus Strenuus.

I

Fridericus Bellicosus I. Elector.

I

Fridericus Placidus. II.

Ernestus

Albertus

I

I

Henricus.

Fridericus III. Johannes.

I

Mauritius. Augustus.

Joh. Fridericus.

I

Christianus I.

Joh. Wilhelmus.

I

Christianus II. Joh. Georgius I.

Johannes.

I

Wilhelmus.

Ernestus.

Joh. Georgius II. Augustus.

I

I

Christianus. Mauritius.

Joh. Ernestus & Fridericus

Joh. Georgius & reliqui

Bernhardus Sereniss.

Fratres.

Joh. Georgius III.

Joh. Georgius IV.

§.XIII.

CON-

mes fle-
ad no-
nitatur.
Misniae
ot quor
lias que
m I. in-
a cura-
m loco.
o, Pater
re Mar-
Montis-
ejus re-
ionis de
filiarum
ILDEN
item &
CONRA-
t in Ap-
exactius
kkebar-
erfectus
di Mar-
ricum.
& filiam
is Ductis
ADUM.
e ad no-



QX 7/12/52

§. XIII. Oda Eccardi filia nupsit Boleslao Poloniæ Duci anno MXVIII. Dicmarus lib. VIII. *Transactis quatuor diebus, Oda Ekibardi Marchionis filia à Bolizlavo diu jam desiderata, & per filium suimet Ottonem tunc vocata, Zizam venit: & quia tunc nox erat, multis luminaribus incensis, ab immensa utriusq; sexus multitudine suscepta est, ac nupsit duci prædicto, post septuagesimam, absque canonica auctoritate, quæ vivebat hæcæus sine matronali consuetudine, admodum digna tanto fœdere.*

SECTIO XIX.

Ab ECCARDO nomen habet arx Eccardsberga duobus cum dimidio ab hinc distans milliariibus. An vero ab Eccardo Patre, an filio fuerit exstructa, nondum certo arbitror constare.

Eccardsbergam non ab Eberto vel Ebrechto, sed ab Eccardo nomen accepisse, ipsa illa denominatio indicat: ut adeo Binhardi & Rivandri in *Chronicis Thuringiacis* hic exigua sit auctoritas. At non æq; certum, à quo Eccardo sit constructa. Pleriq; tamen referunt ad Eccardum I. in quibus sunt Brotufius lib. VI. *Chron. Thuring.* Ms. c. III. Dresserus *Isagog. Histor. part. I.* M. Adrianus Baierus in *Geographo Jenensi cap. IX.* Reusnerum in *stirpe Witikindea* secutus, Albinus in *Commentar. Rerum Misnicar.* & libro germanico, *Sächsischer Stammbaum* inscripto, ubi fundationi assignat annum DCCCXCVIII. Quod non adeo absimile vero. Nam Peccensteinii sententiæ Eccardum I. pro conditore arcis habenti, & fundationem tamen in annum MXIII. referenti nihil inest sani, cum diu ante cæsus sit Eccardus. Dum vero tacent seculi XI. Scriptores, recentiorum conjecturis ansam dedisse opinor Eccardi I. magnitudinem.

COROLLARIA.

- I. Henricus qui Ottoni III. successit, recte appellatur II;
- II. Palatinatus Saxonix à Ducatu & Marchionatu Saxonix distinctus fuit,
- III. Epochæ annorum exodi puerorum Hamelensium non est figmentum.
- IV. Belisarius non est excæcatus.
- V. An Papinianus ab Antonino Caracalla interfectus, forte adhuc dubites.

F I N I S.

ex Duci
bus, Oda
Et per
tunc nox
mulatu-
, absque
onsetu-

duobus
b Eccar-
ror con-

b Eccar-
ut adeo
c exigua
constru-
Brotufius
r. part. I.
nerum in
Misnicar.
ubi fun-
o ab simile
tore arcis
enti nihil
tacent se-
le opinor

r II;
axonia di-

m non est

lus, forte

ULB Halle 3
004 779 835


1077

1077





Vc
1268

AN. XV, 26
EXERC
ECC
MISNI
JEN

EX
AMPLISSI

M. CA

JOH.

CA
I.
NE
II.
PHICÆ

RIUS,

LAI,

15.

